

TABULA 485.

## BIGNONIA ADHATODAEFOLIA.

DIDYNAMIA ANGIOSPERMIA.

CHAR: ESSENT: *Cal* 5-fidus, cyathiformis. *Corolla* fauce campanulata, 5-fida, subtus ventricosa. *Siliqua* bilocularis. *Sem.* membranaceo-alata.

BIGNONIA *adhatodaeifolia*: v. *Jacq. fragm. bot. fasc. 5. p. 61. t. 89.*

*Habitat in Caracas; floruit in Caldario Junio et Julio. ♀.*

PLANTA fruticosa, tota glabra et inodora, scandens ad viginti pedum altitudinem.

TRUNCUS teres, cinereus, uncialis diametri.

RAMI calamum vel digitum, crassi, teretes.

FOLIA opposita, conjugata omnia. *Petiolus* communis teres, cinereus, firmus, semuncialis, terminatus cirrho simplici et longo. *Partiales* virides, teretes, parumber antice canaliculati, unciales. *Foliola* ovato-lanceolata, acuminata, integerrima, utrinque virentia, dorso pallidius, venosa imprimis subtus, novem-uncialia, foliis *Justiciae Adhatodae* simillima, nisi quod sint magis coriacea.

PEDUNCULI axillares, racemosi, subsexflori, plus minus biunciales. *Pedicelli* oppositi, breves.

CALYX virens, superne flavescens, tubulosus cum ore integerrimo.

COROLLA tota lutea, biuncialis. *Tubus* cylindraceus, brevis. *Faux* longissima, compressa, dorsobisulcata, intus fasciis duabus rubigineo-punctatis notata. *Limbus* subbilabiatus; patentissimus; laciniis subrotundis, duabus superioribus paulo minoribus et ad latus mutuo leviter incumbentibus.

STAMINA: *filamenta* quatuor, fauce fere duplo breviora, pallide flava, duo aliis multo longiora, cum rudimento quinti brevissimo, basi crassiore pubescentia. *Antherae* didymae.

PERICARPIMUM: *Fructum* non tulit?

*Ramulus florens naturali magnitudine.*